

*Crolliana  
lactis sul-  
phuris  
prepara-  
tio.*

Hic primus modus subsequentibus duobus longè præstat; expeditiorem tamen ex Crollio pag. 199. lactis sulphuris præparationem sic damus: Recipe sulphuris flavi, triti vel cribrati, vel florum sulphuris (qui meliores sunt) partem unam, & salis tartari, ad viriditatem ferè calcinati & fusi, partes tres: pone in vitro ore capaci, vel olla fictili, luto obducta, collocetur in arenâ, affundatur aqua pluvialis destillata ad eminentiam 6. digitorum: vitri quarta pars sit vacua, quæ extra arenam promineat; subjice ignem successivè, ut bulliat; lignea spatula diligenter agitetur, donec sulphur ferè omnino in illis ebullitionibus solutum sit, quod spatio 5. vel 6. horarum fit: tunc enim liquor rubescit mediocriter saltem inspissando instar lixivii. Si aqua inter bulliendum evanescit, affundatur alia fervida. Suprà pone alembicum cœcum, hæc enim ratione aqua non evaporat. Ultimo ubi ferè omne sulphur solutum est, & liquor rubeus ad eminentiam trium digitorum transversorum restat, tunc ita calidè filtratur, per chartam emporeticam. Si non omnia transeunt, ea iterum aquâ communi solvantur, & ut antea, coquantur, & defiltratâ calidâ solutione parum in alio vitro ponatur, & confestim, dum adhuc calet, affundatur vinum calidum austriacum lentsculum lentè, in ipsa autem affusione facer

admag-